

Constat autem, inter virtutes per se nullam esse pugnam. Omnis enim virtus consistit in mediocritate. Medium autem non opponitur medio, sed extremis, & unumquodque extremorum alteri simul atque medio. Res est clara atque certa in Ethicis. Quam ob causam naturæ virtutis non repugnaret concursus omnium ejus specierum in eodem subjecto, modo id per corruptam nostram naturam post lapsum fieri posset. Incipimus tamen, ceu par est, in pluribus virtutibus aliquas simul facere progressiones. Quod si verò pugna in nobis tunc deprehendatur, ea non virtutibus, sed nostræ imperfectioni adscribenda est. Contingit sanè, ut v. g. Bibliopola librum venditurus pauperi studioso, audiat contraria liberalitatis & justitiæ dictamina, quarum illa exigit nullum aut minus, hæc justum pretium. Sed si in eò virtus utraqve ad habituales perfectionem evecta esset, id non fieret. Prudentia enim, quæ virtutes morales omnes dirigit, habitâ circumstantiarum ratione, statim vel liberalitati vel justitiæ locum faceret, ut nulla exoriri pugna posset. In Deo igitur, cum omnia attributa sint omnibus numeris absoluta atque perfecta, concordia etiam inter ea erit summa, longèque major, quam inter virtutes nostras esse potuisset, etiamsi in statu integritatis permansissemus. Nam & hunc perfectio Dei infinitis modis superat. Verbò: in Deo est perfectissima, in nobis imperfecta perfectio; sicut de hac loquitur *Bernhardus serm. 10. in Psal.* etsi in recentioribus editionibus Pontificii per crimen falsi, perfectam perfectionem substituerint; notante *Vossio Histor. Pelag. part. 2. L. 5. p. 455.* Hinc argumentamur: Quicquid virtutibus humanis per se, & in habituali perfectione consideratis, competit, ac proinde eis in statu integritatis actu semper competiisset, id virtutibus, ut sic loquar, divinis, aut attributis, in gradu excellenti inest. Atque harmonia &c. E.

§. 9. In specie hæc harmonia ostendi potest in omnipotentia tanquam in exemplo, indeque ad reliqua attributa, per argumentationem à pari, transferri. Quæsi vere curiosi, an Deus, tanquam omnipotens, factum infectum reddere, an peccare, mori, materiam informare, aliosque actus naturales edere possit? Negativa verò, quæ Catholica est, nititur harmoniâ attributorum. Factum enim infectum ab eo reddi nequit, propter summam veracitatem; peccare non potest ob sanctitatem; non mori, ob æternitatem; non informare materiam,